



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

L.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

Vide Electio, Infirmi, Index.

Fratres Laici seu Conuersi cum solemniter promittant tria vota essentialia, secundum aliquam Regulam à Sede Apostolica approbatam, in manu Prælati eos incorporare valentis, sunt verè Religiosi, & Ecclesiasticæ personæ. *tom. 2. qu. 123. art. 1.*

Promoti tamen ad sacros Ordines, sine licentia Prælati, grauissima pœna sunt plectendi, & tonsura clericali priuandi. *art. 3.*

Necnon omni vsu Ordinum, & recitatione diuini Officij priuari ad merum statum laicalem reducendi. *tom. 1. q. 42. art. 19.*

Nullus autem Generali inferior, quamuis sit Commissarius generalis, cum plenitudine potestatis, potest dare laico licentiam transeundi ad Clericatum: nam quantum ad hoc, eius autoritas limitata est per Leon. X. constitutionem. *ibid.*

L E C T O R E S.

Pius V. statuit, vt Lectores Theologiæ, qui quatuor cursus

R albol

absoluerint, voce actiua & passiua gaudent; quam quidem constitutionem reuocauit *Greg. XIII.* sed in statutis Vallisoletanis fuit renouata, etiamsi in aliena prouincia docuerint; nec requiritur, quod duodecim annis continuis doceant, si talis interpolatio vergat in utilitatem prouinciæ. *tom. 2. q. 130. art. 1.*

L E G A T V S.

Vide Exemptio.

Monachus factus Canonicus, potest esse Legatus Papæ, vel loci tenens Legati, Officialis, vel loci tenens Officialis Episcopi; & cognoscere de causis, ex *decisione Rotæ. tom. 2. q. 124. art. 1. & 2.*

Legatus conferens beneficium sæculare Regulari, non requirit consensum Abbatis, quia censetur cum ipso dispensare *art. 3.*

L E G A T V M.

Vide Novitius, Studium.

Legatum quodcumque relictum Religiosis valentibus possidere siue per regulam, siue per privilegium, tenet. *tom. 2. quæst. 125. art. 1.*

Si

Si verò relinquatur Monacho, ea lege, vt sibi ipsi & non Monasterio acquirat, non valet; secus si illa conditio absit, quia tunc censetur esse relictum debito modo. *art. 2.*

Legatum ea intentione relictum vt Abbas non possit de eo disponere, non est acceptandum, eo quòd non deceat Religiosum. *art. 3.*

Regularis cum licentia tacita aut expressa sui Prælati Conuentualis, acceptare potest legata, & eis vtî absque eo quòd incorporentur cõmunitati, neque id est contra mentem *Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 2. art. 4.*

Legatum relictum Religioso extra Ordinem Fratrum Minorum de Observantia, potest Prælatus impendere eo inuento in Conuentus vtilitatem, & tunc non obligabitur huic magis quàm antea, vel aliis, sed tenebitur ei dumtaxat necessaria subministrare sicut antè; quia nec potuit legans ius Religionis infringere, nec præsumitur id voluisse. Deinde legatum illud incorporatum fuit Conuentui. *art. 6.*

Si tamen legatum pecuniarium

R 2 sit

fit relictum Fratri Minori, cuius pecuniae dominij dictus Ordo est incapax Prælatus eius administrationem non habebit, sed debebit illud impendere necessitatibus præsentibus aut imminentibus Fratris legatarij; & deinde si quid superfit, poterit expèdere in Conuētus necessitates, aut illi renūciare, aliàs dispo- neret de re non sua, sed legantis. *ibi.*

Si vero legatum fuerit rei secundum Regulam permissæ, cum illius dominium transferatur in sedem Apostolicam, poterit Prælatus consumere in utilitatem, aut necessitatem Conuentus, nec tenebitur quidquam de ea dare Fratri legatario, sicut in alijs Religionibus de omnibus legatis indifferenter dictum est. *ibid.*

Legatū factum alicui Fratri particulari, nisi apertè sit intuitu sanguinis relictum, æquum est censerī donatum ad pias causas, vt sic gaudeat priuilegijs eiusmodi legatorum. *art. 7.*

Concessum est Prælatis Minorum, vt legata, vel etiam donata per viuentes ad vnum vsum, commu-

rent

tent in alium, si absit scandalum executorum, vel dantium. Imo permissum est illis mobilia siue immobilia, non obstantibus vltimis voluntatibus legantium, alienare, si evidens vtilitas conuentus postulet de consensu duarum partium Fratrum eiusdem Conuentus *art. 9. & tom. 1. q. 27. art. 5.*

Licet autem Fratres Minores licite recipiant legatum eorum necessitati correspondens; si tamen illius nulla, vel non æquè magna sit necessitas præfens aut imminens, vt illud totum, vel eius residuum ad alium vsum conuertant, debent ab Ordinario licentiam obtinere. *tom. 2. q. 126. art. 1.*

Relicta in vltimis voluntatibus cum conditione Fratribus licita, vt g. vt veniuntur, & in Fratrum necessitates pretium conuertatur, valent; & illa, quibus nulla est addita conditio; quia tunc censetur legans voluisse Fratribus modo debito subuenire. *ibid.*

Licet prædicti Fratres Minores ex professione Regulæ incapaces sint reddituum annuorum etiam in

ultima voluntate legatorum, nec
vlla præscriptione quamuis centum
annorum ius ad illos exigendos ac-
quirunt; possunt tamen annuatim
occurrente necessitate petere & re-
cipere eiusmodi legatū, cum respe-
ctu eorum mera sit eleemosyna, &
ciuilitè incerta; tenentur autem
hæredes in conscientia illis elargi-
ri, potestque Episcopus eos cõpel-
lere. Quinimo si legata sint eis fa-
cta pro Missis dicēdis, potest eorum
Syndicus ex statuto *Greg. XI* l. ca.
ciuilitè petere. *art. 4.*

Sed neque eorum professioni
contrarium est legatum annuum
relictum pro Ecclesiæ fabrica, vi-
no, cera, oleo, vestimentis, & pro
celebratione Missarum: nam eorum
mendicitas non tollitur ex eo quod
certum aliquem redditum habeat
eorum Ecclesia pro prædictis que
ad victum, & vestitum Fratrum non
pertinent. *art. 5.*

Legatum factum virgini cum cõ-
ditione, si nupserit, si filias habue-
rit, ingredienti Religionem inte-
grum debetur; quia matrimonium
illud spirituale non est minùs fa-
uorab

LEGITIMA. 263

uorabile, quàm carnale. *tom. 2. qu. 127. art. 1.*

Et idem dicendum, quamuis exeat, si eius iustam causam habeat, & animo profitendi fuerit ingressa; secus autem si vel egressus iusta causa, vel profitendi animus defuerit. *art. 2.*

Legatum factum pauperibus, cæteris paribus potius debetur Religiosis, utpote dignioribus; aliàs pauperioribus iudicio Episcopi. Relictum autem Monasterio, non expresso nomine, potius Monialium, quàm Monachorum domibus erogandum. *art. 3.*

LEGITIMA.

Vide Testamentum.

FRatres Minores Conuentuales iuridicè per priuilegia petunt legitimam; sicut etiam succedunt ab intestato, non aliter quàm si essent seculares. *tom. 2. qu. est. 128. art. 1.*

Matri & auia debetur legitima mortuo filio aut nepote, in bonis, quæ ipsi cum detulerint, quando Religionem professi sunt. *art. 2.*

Vide Declaratio, Studium.

Lex ciuiliſ inſuſa in corpore iuris, quod approbatum eſt per Pontifices deficiente canone, ligat etiam Clericos & Regulares, non ſolum in fauorabilibus, ſed etiam in odioſis: vt patet in lege inducente infamiã, &c. Non autem illa quæ extra illud corpus eſt, ſiue ſit localis, ſiue communis, niſi ſpecialiter à Papa approbetur aut conſuetudine mixta Clericorum, Monachorum, & laicorum vim habeat; vel certè niſi priuilegium contineat: quia Monachi & Clerici ſunt verè ciues in fauorabilibus *tom. 1. q. 66. art. 1.*

Clerici & Monachi licèt per canones fundatos in iure diuino eximantur à ciuili poteſtate ratione ſuæ dignitatis maioris omni laicali; non tamen in quantum ſunt ciues, quia ſic ſubefſe debent, non præſſe. Itaque tenentur obedire Regi eos vocanti ad negotium aliàs licitum, atque ad eò omnis lex ciuiliſ concernens bonum commune, aut

aut cauens damnum communitatis, ligat etiam Regulares, non quidem vi legis ciuilibis, sed iuris naturalis. *ibid.*

Numquam autem eos ligat lex ciuilibis, quodcumque contrauenit libertati Ecclesiasticæ, aut canonicis; in quacumque sit materia, cum Papæ authoritati magis subsint, quam Principi sæculari. Imò nec Monachos adstringit, si priuilegio sibi concesso contraueniat. *ibid.*

Quòd si aliquando Monachi aut Clerici comprobentur rei legum ciuilium quibus subduntur, non possunt trahi ad tribunalia sæcularia, sed puniendi sunt à Iudice Ecclesiastico aut Regulari, & hoc non necessario secundum dispositionem legis, sed iuxta arbitrium Iudicis, & grauitatem materiæ constitutionis violatæ, & scandalum inde exortum. *ibid.*

Plura de hac materia prosequitur
Author in hac & 67. quest.

LIBRI.

Vide Imprimere, Hæresis.

EX Bibliotheca Fratrum Minorum
furtim præsumens pro suo
R 5 vsu

266 MATRIMONIUM.

vsu librum, aut quaternum surripere, etiamsi Episcopus sit, ipso facto incurrit excommunicationem Papalem. *tom. 2. q. 129. art. 1.*

Clemens VIII. prout testatur Reuerendissimus Pater Franciscus à Sosa totius Ordinis Minorum Generalis, reuocauit constitutionem *Sixti V.* qua statuit pœnam excommunicationis Papalis, & priuationis omnium officiorum, necnon vocis actiuæ & passiuæ cōtra Guardianos ante susceptum officium, non facientes diligens inuentarium omnium librorum Bibliothecæ; & contra quoscumque Fratres quouis prætextu, ex ipsa Bibliotheca libros extrahentes, sed tantum eos ligari voluit, qui in fraudem Bibliothecæ aliquid surripiunt. *ibid.*

MAIORATVS.

Vide Hereditas, Monasterium, Monachus.

MATRIMONIUM.

Vide Legatum, Nouitius, Professor, Votum.

Regularis matrimonium contrahens, tamquam suspectus de hæresi